

Hermes: Draco non moritur nisi cum fratre & sorore sua interficiatur, non per vnum solùm, sed per ambo simul, scilicet per Solem & Lunam.

Philosophus: Mercurius nunquam moritur nisi cum sua sorore interficiatur: id est, cum Luna vel Sole illum congelare oportet. Nota quòd Draco est argentum viuum, extractum à corporibus, habens in se corpus, animam & spiritum, super quo dicit: Draco non moritur nisi cum fratre suo & sorore sua: id est, Sole & Luna: id est, sulphure extracto habente in se naturam humiditatis & frigiditatis ratione Lunæ, cū illis Draco moritur: id est, argentū viuum ab eisdem corporibus extractum à primordio, quæ est aqua permanens Philosophorum, quæ fit post putrefactionem, & post separationem elementorū: & aqua illa alio nomine dicitur aqua foetida, 154.

Vnde Philosophus: Omnia fert secum quæ indiget hæc aqua foetum. Aristoteles secundo Physicorum: Reticulum est ex perfecto facere imperfectum melius.

Bonellus Philosophus: Aes quod prædixi non est Aes, neq; stannum vulgi, sed est verum opus nostrum. Quia oportet corpori magnesiæ misceri vt coquatur & teratur cum aqua vitæ, donec diruatur. Habere autem vos oportet huius filij artis aquam multam, & hoc continuò donec per partes aquæ apposuisti, & maxima pars terræ fuerit soluta. Auicenna: Quod fit spirituale in vase sursum ascendit. Quòd verò spissum & grossum in vase remanet deorsum. Et nisi corpus ita denigraveris & destruxeris, donec aqua non vult misceri ei, vel recipi à terra, nihil consequeris. Nam quando fit puluis spiritualis in vase, manet deorsum. Ideo nisi omnia vertas in puluerem spirituale non dum eam contriuisi. Et quod facis in albo corpore, fac & in rubeo: quia hæc medicina est in essentia vna. & in modo agendi similiter vna. Versus:

*Aes in aquam puram nil plus perficere cura,
Tinctura gymme de rebus fixis in igne.
Soluatur in igne rata, lapis est aqua fixa gelata,
Quum redit in formam primum sic percipe normam,
Tunc erit aes nostrum lapis instar Philosophorum.*